

subiectum, vel vt instrumentum, & demum quid tandem sit ex causis cum quibus genitus: antea est, & A
nunc augetur, perseveratque, aut minuitur morbus. Deinde in singulis causis ab immediatis progre-
diendum ad remotissimas, laborandumque interim, vt omnes, quæ intermediæ sunt, enumerentur.
Tertio ex vniuersa causarum multitudine, quæ ad eundem affectum generatim concitandum perti-
nent, reijciendæ sunt, quæ ad rem non faciunt. Quarto certa rerum genera constituere oportet, à
quibus tum aliæ nonnullæ tum maximè effectrices, materiaque sumuntur. Postremo modum, &
rationem docere oportebit, qua singulæ causæ potissimum verò effectrices eam, quam habent vim,
exerceant: an scilicet per se, vel per accidens, an sua substantia, uel qualitate, vel quantitate, vel ordi-
ne, aut agendi modo, vel tempore, & mora, aut subiecti ratione, an primario, vel per consensum,
an vt propriæ, vel communes, an vt internæ, vel externæ, uel vt coniunctæ, vel remotæ: item an
actu, uel potentia sint causæ, vel alio tandem modo ea præstent, quorum causæ esse dicuntur. Ac
vt exemplo rudioribus fiat res clarior; ponamus hominem senem crapulæ deditum, sanguine, & pi-
tuita redundantem, podagra solitum laborare, atquæ in illam hyberno tempore (quum forte libera- B
lius prandisset, & equitando Aquilonis impetum tulisset) cum febre, & calore vehementi incidisse.
Dicet medicus in hoc casu varias esse causas, tumorem inquam pedum morbum constituere. Vt qui
magnitudinem, structuram partis, & temperiem quoque vitiet; materiam verò morbi esse sangui-
nem, & pituitam; ex quibus tumor erigitur. Morbum peperit Aquilo, auget verò cruditas, hu-
morumque copia: Eundem fouet partis, & vniuersi corporis imbecillitas, acrq; ambiens frigidus;
subiectum est pes dexter, aut sinister, aut vterque; & in eo vna pars magis quàm alia; si forte ita
contingat digitos grauius laborare aut talum, aut malleolos, aut aliquam aliam pedis partem. Sunt
quoque imbecillitas loci, & vasa latiora reddita ex consueta fluxione, causa cum qua facilè recipiun-
tur, qui eò decumbunt humores. Quòd verò sit dolor vehemens, causa petitur ex materia, quæ
sanguinis ratione partem calefacit, & ob eiusdem tum pituitæ copiam membrum maximè sensibile
tendit. Quòd autem diuturnus sit affectus, in causa est materia crassa, & copiosa, subiectum in- C
firmum, crapula, quæ materiam suppeditat, ætis ambientis frigus, quod humorem digeri prohi-
bet, exprimitque ad locum affectum. Est autem tutor immediata, interna, communis, actu, per
se, quæ quantitate, & qualitate eorum, quæ in se continet, causa est, hic verò ex humore collecto
in parte natus est, collectio ex fluxione, hanc peperit aer in pleno corpore per accidens densando
externas partes, exprimendoque ad internas, & eas potissimum quæ pati sunt aptæ, & solitæ super-
fluam materiam recipere: Ex dolore verò & partis calore, arteriæ, quæ illic consistunt, præter natu-
ram, calefiunt conceptumque calorem per communitatem cordi communicant; à quo postea in vni-
uersum corpus per omnes arterias spargitur; atque ita febris oritur. Atque ex hoc quidem exemplo
patet, qualis sit forma morbi, quidque illum constituat, foueat, augeat; quid interna, externa
communis, actuque sit causa, quid item occasionem morbo dederit, quid per se, & per accidens,
vel sua qualitate; aut quantitate obsit; quid ite in primario, & secundario fiat; quid præterea mate-
ria sit, quid subiectum, quid tanquam causa cum qua prædicta consistant. Nec non patet progres-
sus ab immediatis ad remotissimas; quidque primò, quidve deinceps, & à quo vnumquodque sit D
ortum. Quòd si omnis podagræ causas referte placeret, illis reiectis, quæ ad præsentem casum non
faciunt, licebit alias astruere, & comprobare. Quin & illud patere omnibus potest, tum efficien-
tes causas, tum materiam ipsam ab his, quæ uel assumuntur, uel excernuntur, retinenturque, uel
geruntur, aut extrinsecus afficiunt, sumi. Iam uerò ad symptomatum causas accedamus: quæ
quum omnes petantur tanquam à generibus causarum uel à facultate, quæ actionis est causa, uel à
communi, uel proprio instrumento, uel agente, uel sine, aut materia, aut à causa sine qua non, nec
omnes hæ causæ in omnibus symptomatis considerentur. Age ponamus exemplum unum in om-
ni genere symptomatum, & expendamus, quid in singulis postulet ea methodus, quam in causis
obseruandam esse diximus. Proponantur igitur inter actiones læsas appetentiæ deficientis, aut abo-
litæ causæ inuestigandæ. Dicet medicus ad hunc modum sumpto exordio à certo quodam principio.
Si fames est sensus alimenti deficientis, uel sensum huiusmodi sequitur, duas profectò oportet primas il- E
lius esse causas, sensationem scilicet & id, quod sensum afficit, quarum lætio appetentiam libefaciat.
Sic enim uidemus delirantes nequaquam appetere alimentum, quoniam. s. sensationem in uentriculo
factam non apprehendunt. Quòd etiam his contingit, qui contusum, aut aliter cerebrum habent affe-
ctum: adeo ut sensifica uis nequeat ad uentriculum ferri: necnò illis, quæ propemodum mortuum sen-
sum habent in uentriculo. Quæ sensus requiritur, si fames fieri debet. Affici quoque oportere sensum
ex hoc constat, quoniam repleto uentriculo & potu, appetentia definit; ideo. s. non adest, quod sensum
afficiat. Verum etsi affici oportet sensum, non tamen omnia, quæ id possunt præstare, ad appetitum fa-
ciunt. Nam si à re grauante, uel replente, aut mordicante, uel calefaciente, refrigerante, uel vulnerante,
uel denique ab omni re à uacuantibus afficiatur, ingerendi alimenti desiderium nullum fiet, sed ex-
pellèdi potius id, quod molestat. Sola itaque uacuantia appetitum efficiunt, siquidem id, quod replet,
appetimus. At quum uacuari possit uentriculus à digerentibus, comprimentibus, & ab attra-
hentibus,